

*Dissertatio Academica,
Cogitationes Nonnullas*

De

CONSENSU

Siftens,

Quam

Suffrag. Ampliss. Facult. Philos. Lycei ad Auram,

Præside

*Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,*

ELOQV. PROFESSORE REG. ET ORD. REG. ACAD. LITT. HUMAN.
HIST. ET ANTIQVIT. MEMBRO,

Pro Gradu

Publice ventilandam proponit

HENRICUS VÖRLUND,
Ostrobotnienensis,

In Auditorio Majori die XV. Junii MDCCXCV,

Horis a. m. solitis.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

A

Monsieur

*Mr. GUSTAVE
CHRISTOFFERSSON,
Major de la Flotte Royale.*

Les bienfaits, dont Vous m' avez, Monsieur, si généreusement comblé, m' imposent le devoir de Vous témoigner publiquement ma reconnaissance, & de Vous assurer du profond respect, avec lequel j' aurai toujours l' honneur d' être,

MONSIEUR,

Votre très-humble & très obéissant

Serviteur

HENRI VÖRLUND.

S:Æ R:Æ M:TIS

Speciatæ Fidei Viro,

In Regio ad Auram Lyceo

*Anatomiae, Chirurgiae, Artis Obstetriciae & Veterinarice
Professori,*

Amplissimo atque Experientissimo

D:no Philoſ. & Medic. Doctori

GABRIELI BONSDORFF,

Pagellas has venerabundus offert

Patroni Sui Propensissimi

Cliens dévotissimus:
HENRICUS VÖRLUND.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Præclarissimo

D:no Magistro

JOSEPHO MOLLIN,

*Pastori Ecclesiarum, quæ Deo in Karcku colliguntur
Meritissimo,*

Præceptor olim suo Fidelissimo,

*In pignus animi grati, nunquam intermorituri, pagel-
las has oblatas voluit, debuit,*

Plurimum Reverendi Nominis Sui

Cultor observantissimus
HENRICUS VÖRLUND,



§. I.

Doctrina de *Consensu*, quanti sit in jurisprudentia naturali recte tractanda momenti, quam vim habeat in merito & culpa factorum rite ponderandis, in dominii translatione quacunque examinanda, atque in officiis singulis, quotquot ex pactis & contractibus oriuntur ac pendent, æstimandis; nemo vel tantillum in his rebus versatus, ignorare potest. Hæc autem doctrina, cum non æque accurate, clare & simpliciter ab omnibus vulgo explicetur, sed supervacaneis, alienis atque ex studio hypothesium affectis passim onerari soleat quasi sarcinis; præcipua ejus momenta paucis proponere, veramque rationem, quantum in nobis est, præeuntibus Philosophis quorum diligentiae maximam hæ literæ lucem debent, adumbrare conabimur: nullo alio consilio, nisi ut quid ex præceptis eorum profecerimus demonstrare, navataeque artibus liberalibus industriæ specimen, quale leges Academicae jubent, edamus. Quos igitur juveniles nostros innoxiosque conatus mitiori L. C. judicio commendamus.

A

§. II.

Consensus vocabulum (a vocibus *con*, quasi simul cum alio, & *sentire*, originem ducens) nihil significare aliud potest, quam unum sentire eum aliquo, vel sententiæ alicujus se adjungere: conformationem igitur innuit nostræ voluntatis cum voluntate aliorum. Hæc igitur voluntatum conformitas, sive unitas, ubi adest, ibi quoque consensus locum habet; illa autem ubi deest, aut adesse nequit, ibi Consensum haberí, nisi verbis ludere aut veram verbi significationem deserere velimus, statuere haud licet.

Hujusmodi jam *Consensus* ubi vere adest, illum semper habet effectum, ut actio ad quam ille accessit, nostra eatenus habeatur, nobisque inde recte imputetur. Ut enim nostra voluntas (ubi vera fuerit, h. o. e. neque ex errore profecta, neque vi extorta, unde simulatio quædam voluntatis potius quam voluntas ipsa oritur) genuinus est nostrarum actionum fons; ita imputationis quoque eadem est unicum principium genuinum. Imputatio autem hoc involvit, ut actio pro nostra (a libera nostra voluntate profecta) declaretur, nobisque igitur effectus ejus naturales & morales tribuantur. Deinde, quia naturalis sive libertatis sive independentiæ sive æqualitatis hæc vis est, ut ipse domini simus cum nostri ipsius, tum actionum,

laborum bonorumque nostrorum; quatenus iis nulli
alii injuria fiat, suaque libertas, ac quod suum est, nul-
lo modo eripiatur. Ad illud vero dominium cum et-
iam hoc pertineat, ut partim possimus illud cum aliis
communicare aut in alios transferre (*a*), sicut alias,
hoc vel alio modo, prout maxime proficuum nobis
visum fuerit, illud exercere: per talem actum domi-
nii illius nostri, pars talis ad alium vere transit, nec
amplius nostra manet (seu ad nos pertinet), sed ejus
sit, cui illud concessimus (*b*); nec igitur magis quam

A 2 reli-

(*a*) Unde ARISTOTELES, *Art. Rhet.* L. I. C. V. §. 6, *De-
finitio est*, inquit, *proprietatis, quando in nostra potestate
fuerit, alienare.*

(*b*) Cum res nostras in alios transtulimus, actum dominii
nostrii ultimum exercuimus, quo hoc ipsi extinximus; unde
nostrum postea penitus cessat dominium, & alterius in-
cipit: si videlicet is, cui rem tradidimus, in illam acci-
piendam consentit; sin autem abnuit, res ad nos redit,
aut si illam plane abjicimus, nullius fit, & porro ejus,
qui eam primus occupat: cum quo comparari certo mo-
do potest qui in rei libi a nobis factam traditionem con-
tentiendo, dominium sibi vindicat. Postquam igitur sic
rem aliquam, vel jus in actiones & operas nostras,
(quarum ipsi antea fuimus domini) alteri tradidimus, qui
suum recipiendi voluntatem consentiendo declaravit; ita
harum is fit dominus, ut de iis pro lubitu disponere
posit; nobis autem, qui consensu nostro tale ei dedi-
mus dominium, non plus quam alii cuicunque licet il-
lud violare, sive fidem frangere. Cfr. GROTIUS *Jus Bel-
li & Pacis* L. II, C. VI, §. 1 & 12.

reliqua jura & bona sua ei sine injuria eripi, aut is ab eorum usu prohiberi, potest. Hoc modo, per intervenientem Consensum nostrum, a pactis jus perfectum oritur: quod per ea semper partem aliquam nostri dominii transtulimus in alios, quam itaque deinde violare sine injuria (h. e. nisi dominio ac jure alterius invadendo) non possumus. Ut itaque omne dominium ab æqualitate sive independentia hominum naturali (labore scilicet nostro quocunque ad res occupandas interveniente, has etiam nostras efficiente); ita obligatio pactorum ab hujus dominii usu ac translatione, qua illud datur & accipitur, ortum atque vim suam adipiscitur & habet.

§. IV.

Ex dictis simul patet, quales esse debeant, qui consentire vere queant, & a quibus, contra, verus consensus proficiisci non possit? Domini nempe sui illi sint oportet, non aliis mancipati; in res, circa quas consensus suus versabitur, dominium verum habeant, ita ut illæ non sint alienæ, aut omnino extra suam potestatem sive physice sive moraliter positæ: neque non ea utantur libertate mentis (a qua sanæ usus rationis abesse nequit), ut *sua voluntas* vere possit fons actionum suarum dici; quæ nec ab errore proficiantur oportet, ut in *hanc rem* consensisse, non in aliam plane, asseri merito queat (a).

§. V.

(a) Ex his appetet, Consensum infantum, furiosorum, ebriosorum &c. nullam gignere posse obligationem; errorem

§. V.

Cum ad modum attendimus, quo Consensum suum præbere solent homines, pro illius diversitate hunc recte in *Expressum & Tacitum* dispesci, facile intelligimus. Consensum aut dissensum nostrum declaramus, cum signis iis, quibus communiter utimur ad voluntatem nostram manifestandam, ostendimus hoc aut illud nos velle, aut contra nolle, vel cum voluntate aliorum nostram congruere, aut contra ab ea discrepare, vel ei repugnare (a). Inter hæc signa merito re-

A 3

fe-

vero, qui consensum vitiat, esse debere essentialē &c. In quibus omnibus gradus tamen aliquos debere attendi, liquet. Similiter vis injusta, coactum in talem redigit conditionem, ut ejus consensus idoneum obligationis fundamentum esse nequeat. Unde non male Cel. MOSES MENDELSSOHN p̄cta haud posse gignere jura perfecta assentit, ubi antea jam aliqua obligatio non adfuit imperfetta. Vid. Ejusd. *Jerusalem oder über religiöse macht und Judentum* 1 Abſchn. p. 32-36 & p. 45-55.

(a) Vix igitur inter exempla Consensus Taciti illud retulerimus, quod est apud Illuſtr. PUFENDORFFIUM de *Jure Nat. & Gent.* L. III. C. VI. §. 1.) "Qui in diverſorium ad „mensam accedit, et si nullum cum hospite verbum circa „preūm cibi commutet, ex ipso tamen actu suo ad id sol- „yendum consensisse intelligitur; quod notorium sit, nem- „ni gratis heic cibum præberi." Ipse talis actus positi- vus, ad mensam adſidendi & cibum capiendi, ſignum cer- tum est conditionis initæ, citra quam cibus advenis non præbetur, & cujus ignorantiam hi prætendere nequeunt: non magis, quam si quis in taberna mercatoria mercem.

* * *

ferendi sunt certi gestus, qui hominibus quasi innata instrumenta sunt cogitata sua patefaciendi. Maxime autem idoneum adminiculum voluntatem declarandi, est sermo, vel ore prolatus vel scripto expressus. Quare de omni hinc fallacia, ambiguitate, quin & oblivionis periculo removendis, multa diligenter præceperunt atque statuerunt legumlatores. Incidunt autem interdum tempora, ubi Consensus Expressus locum habere commode non potest; pro quo igitur datur *Tacitus*, sive qui tacendo significatur. Ab eo autem, qui Consensu obligabitur Tacito, necessario requiritur ut & possit loqui, & si dissentiens haberi velit, hunc dissensum suum significare etiam debeat. A surdo igitur & muto, absente, nesciente, non advertente, hujusmodi Consensus supponi nequit. Similiter, si consensum aut dissensum quidem suum indicare quis possit, sed non debeat; in aprico est possum, ad ejus Consensum Tacitum provocari non posse. Ubi autem is qui loqui, ac nisi consentiat, dissensum suum manifestare & potest & debet, tamen silent, eaque re accedere ad aliorum sententiam his merito videtur, & cum sua res, se sciente ac præsente agitur, nihil impedit, quomodo illa peragatur; is ta-

cen-

fibi dari postulans, eam acceptam sine pretio soluto auferre velit, prætendens, se pretii mentionem non fecisse, vel ejus dandi necessitatem ignorasse, adeoque nec ad illud solvendum obligari. De bono scilicet gratuito hic non agebatur; & locus ipse conditionem interpretatur.

cendo consensisse (ac quasi signis negativis consen-
sum declarasse suum), merito existimatur (*).

§. IV.

In libris autem, qui Jurisprudentiam Naturalem proponunt, occurrit etiam alia Consensus distinctio, qua dispescere illum solent in *Formatum*, *Præsumtum* & *Interpretandum*. Contra quam distinctionem non urgembimus, nec reliquis bonæ distinctionis regulis optime videri convenire; sed hoc tantum observabimus, primariæ illi turpiter eam repugnare, qua membra distingventia nec plus, nec minus complecti debere, quam ipsum distinctum, Logici sciscunt. Si enim notiones distincte evolvimus, quæ duabus posterioribus subjiciuntur Consensus, ut docent, speciebus; eas sub generali Consensus notione haud contineri, adeoque nec ad ipsum distinctum omnino pertinere, facile animadvertisimus. Definitiones contra *consensus* in genere & *consensus formati* exacte coincidunt (a). Nonnulli igitur, qui hanc adhibent

distin-

(*) Cfr. GRÖTIUS I. c. L. III. C. XXIV, & PUFENDORFF I. c. §. 2.

(a) WOLFIUS (*Philos. Præf. Univers.* §. 658): "Consentire dicitur, qui *vult* ut hoc fiat, quod fieri vel non fieri *vult* "alter. Unde Consensus est *actus voluntatis*, quo idem "fieri vel non fieri volumus, quod fieri vel non fieri *vult* "alter". Definiat jam quis mihi perspicue *consensum præsumtum* & *interpretandum*; & tentet an has definitiones

distinctionem, definitiones accuratas adferre, aut Consensus in genere, aut diversarum quas statuunt ejus specierum, prudenter omittunt; ne vitium illud Logicum in oculos legentium mox incurrat (b). Alii vero magis animosi, apertam hanc definitionum suarum pugnam non formidant. Ex. g. CANZIUS (*Discipl. Moral.* §. 311.) qui dicit: "Consensus est voluntatis actus" (in in ipso nempe consentiente?), "quo quid ratum habet. -- Consensus expressus declaratur verbis, tacitus factis; presumptus intelligitur ex alterius" (non igitur jam est actus consentientis!) utilitate & aequitate; interpretandus denique, nexus membrorum cum "societatis capite, nititur" (ambiguo, ut tegatur vera rei indoles!). Qui cogitaverit, *Consensum nostrum* in eo consistere, quod *nostra voluntas* cum alterius aut alio-

cum illa reddere consentientes, aut ostendere sub illa esse comprehensas, valeat!

(b) Observavit quidem hanc prudentiam noster BRUNMARK (*Elem. Jurisprud. Naturalis, Pbilos. Pract. Univ. C. IV*), qui Consensum in genere non definit; sed qui tamen, cum paragrapho 15 dixisset "Consensum qui in ipsum factum alienum declaratur, esse vel formatum vel interpretandum vel presumptum", §. 19 docet "Consensum interpretandum eum vocari, qui ex nexus membrorum cum societatis capite intelligitur" (non jam ab ipso consentiente declaratur!), & §. 35 "Consensum esse presumptum, qui subjecto quod formate consentire nequit, trahitur", &c. Adeo ut & subjectum & actus in tribus his Consensus speciebus omnino differant.

aliorum voluntate conveniat; facile reperiet, *aliorum de nostro consensu opiniones & judicia*, non posse illius species constitui, aut vim eam habere quam ille ex solo nostræ voluntatis actu accipit.

§. VII.

Quid est enim *Consensus præsumptus*, nisi *præsumtio* (h. e. opinio, vel conjectura, vel judicium) *aliorum* de futuro, sive utili, sive æquo, sive necessario, alterius aut aliorum consensu? Homo igitur ipse, cui hic consensus tribuitur, absens vel negotii ignarus ponitur. Quomodo itaque ejus voluntas, quæ omnino non existit, fons obligationis & imputationis & iurium haberi poterit? Et quomodo officia perfecta ei inde ingruent? Si amici mei sperant, imo confidunt, me conditionem proficuam libenter recepturum, meoque nomine, ex *consensu* meo *præsumto* agentes, illam acceptant, & memet pacto quodam obligant; num eo illorum actu ita ego obstringor, ut conditione licet repudiata, a pacto tamen recedere mihi, postquam rem rescivi, haud liceat? Meum itaque dominium minuendi, abalienandi, transferendi, me non modo inscio, sed etiam repugnante, jus habebunt? Mei igitur erunt Tutores & Superiores? Quo posito, quomodo libertas naturalis salva manebit? Quomodo inter jura atque officia perfecta & imperfecta intercedens, omnium consensu, discriminem firmum manebit atque fun-

B

da-

datum (a)? Si autem vere, tali consensu præsumto neces-
fitas mihi non imponitur, sed facultatem retineo rem at-
que conditionem mihi oblatam repudiandi; facile intel-
ligitur, præsumtum illum consensum, mei consensus
(utpote obligationem necessario parientis) nomine di-
gnum non esse, nec nisi per figuram sermonis, (qualis
hic philosophum non decet), præsumtionem aliorum
de

(a) Ponamus v. gr. mercatorem, negotiis aliis implicitum,
in foro adesse non posse, ubi frumentum vili pretio ru-
stici venum offerunt; ponamus amicum mercatoris, maxi-
ma probabilitate præsumere, hunc, si adesset, id emturum;
ponamus porro rusticos, amici illius promissio inducitos
frumentum suum horreo mercatoris absentis intulisse, de
acciendo pretio nil dubitantes: num ille mercator ad
hanc emtionem ratihabendam, non dico ex legibus a-
amicitiae, humanitatis, prudentiae, sed ex *jure perfecto*
obligatus censi debet? Idque ex fundamento *consensus*
sui ab altero *præsumti*? Tum sane non ipsi utilitatis no-
stræ interpres ac judices essemus, quod ad naturalem
maxime pertinet libertatem, sed aliorum arbitrio subjice-
remur. Quid, si ille mercator, interim pecuniam suam a-
liis mercibus emendis impenderit, aut majori commodo
pendendam decreverit? aut adeo se se obligaverit? Quis
limites arbitrii illius alieni, quoisque se se extendere po-
terit, & ubi subsistere debeat, definit? Alterius igitur
loco, non aliter quam conditionate, si nempe absens po-
stea præsumtionem nostram confirmaverit, consensus no-
ster vim habere potest. Alia plane res est, si alterius
nomine consentit, qui jus ejus legitime administrat, aut
negotium ejus gerit, ut mandatarius &c. ad cujus acta ra-
ta habenda mandator se jam antea obligavit.

de meo consensu, non vero meæ actum voluntatis, significare; adeoque præter inanem verborum lusum nihil involvere.

§. VIII.

Pro validitate vero Consensus hujusmodi Præsumti adstruenda, exempla adferunt, vel casuum quorundam necessitatis, in quibus ille plenum jus dignat, vel officiorum humanitatis præstandorum, quæ inde definienda sint, vel pactorum accessoriorum, quibus indidem robur accedat: quæ omnia plane aliena sunt. Sic dicunt, casu incendi existente, licere domum absentis, igni propagando inservientem, destruere, idque ex consensu domini præsumto; quantum is, si adesset, in domum suam demolliendam fine dubio consensurus fuisset. Re autem accuratius expensa, facile intelligitur, consensum ejus in eo casu esse omnino superfluum; quoniam si ejus domus tamen deflagratura est, ex jure necessitatis licet eam demolire, si vel præsens sit dominus, ac non modo non consentiat, sed etiam repugnet: quippe cum illi jus non sit suæ calamitati aliorum damna frustra adjungendi. Si vero domus sua conservari potest, demolire illam minime licet: ac si suo is danno aliorum pericula averterit, reparationis etiam exigendæ jure gaudet. Idem de casu naufragii & jacturæ faciendæ valet. Alii prorsus fundamento, quam Consensui præsumto, totum illud jus innititur.

Neque jus officia humanitatis, aut beneficia, absentiibus præstandi, ex consensu illorum præsumto repetere, opus habemus; qualia etiam sunt quæ infantibus, furiosis &c. exhibentur, quos vel invitatos servare oportet: ac existere casus necessitatis possunt, cum ii etiam qui usu rationis gaudent & ipsi adsunt, furiosorum instar considerari debent (v. gr. desperatione aliisque vehementissimis acti nimis affectibus). Sed neque hæc facultas ex consensu eorum præsumto, verum ex communibus hominum in homines officiis, pendet; quæ perniciem aliorum avertere, libertate tamen illorum haud infestata, jubent. Quod ad pacta tandem accessoria attinet; illorum admittendorum fundamentum non in novo consensu aliquo præsumto, sed in illa conditionum talium coniunctione cum principali pacto quærendum est, qua easdem sub hoc vere compendi, eique naturaliter inesse, adeoque cum illo (quod sine his plane locum habere aut omnino intelligi nequeat) simul probatas jam fuisse, docetur.

§. IX.

Quibus moti rationibus, merito *Consensum præsumtum*, a Jurisperitis *fictum* vocari, putamus (a); ut-

(a) Adstipulatur HENR. KOEHLER (*Juris Social. & Gent. Spec.* 1, §. 44), cuius verba sunt: "Consensus præsumtus est *fictus*, & præsupponit hominem legislatorem, qui "in statu naturali non datur." &c. Cfr. Ejusd. *Juris Nat. Exercit.* IV, §. 1370, 71 & 72.

ut pote nulla per se vi gaudentem. Ægre hoc ferens CANZIUS l. c. §. 312, sqq. (b), ac demonstrare ejus validitatem studens, nil nisi inania affert verba. SCHUBERTUS (*Philos. Pract.* §. 154) notionem ejus vulgarem mutans, *Consensum esse Præsumtum* dicit, qui juxta legem adesse debet, si vel maxime non constaret, num ille, qui consentire debet, vere consenserit, nec ne? Unde in Nota subiecta docet, *consensus hujus effectus non tol-*

(b) "Nescio, inquit, cur *Consensum præsumtum, fictum* appellent, & vero opponant. Quasi vero in disciplina morum *Pbyfica* magis, quam *Moralis* existentia ac veritas exspectari deberet." Deinde §. 313 addit: *Existentia pbyfica* est, cujus possibilitas complementum *nacta*. "Existentia *Moralis* ejus est rei, ob quam, et si pbyfice non existat, ita homines agunt, ac si jam prælens actu esset". Quo modo multæ res fictæ, etiam absurdissimæ, deliramenta ægrotantium &c., habebunt existentiam moralem! Termino novo adhibito, ipsa res egregie scil. explicata est! Quæ multorum esse solet philosophia. Porro dicit §. 314: "Si veritati fictio consensus præsumti obstat, nec quidquam verum est nisi quod pbyfice existit" (h. e. quod non est fictum?): "quid igitur de omnibus juribus, quæ in mera fictione, tametsi rationibus sufficientibus nixa, possuntur"? At quænam hæc sunt jura? Quæ si mera fictione nituntur, sane flocci sunt. Nec majoris ponderis sunt quæ §. 315 sequuntur; ubi nugis illis de existentia pbyfica & morali, ex jurantis exemplo, (qui quod serio jurans agit, et si voluntatem jurandi non habeat, pro volente ius jurandum tractatur) nescio quod robur comparare nititur, res plane alienas adducens, rotundisque quadrata miscens.

tolli, si vel maxime in facta præcedentia, quæ ignoravit antea, postmodum dissentiret. Nemo autem non videt, id in quod consentire lege jubemur, per legem ipsam constitui; adeoque vim suam inde, ac non ex consensu demum nostro adipisci, h. e. talem consensum frustra affingi.

§. X.

Nec quæ de *Consensu Interpretando* comminiscuntur, majoris sunt vel firmitatis vel pretii. Dicunt illum (cujus primum in scenam producti CANZIUS sibi vindicare gloriam videtur (a),) ex nexus membrorum

(a) *Discipl. Mor.* §. 312. "Quarta (Consensus clasis) plaus ne nova, sed tamen, opinor, bene fundata est". Extra Wolfianam certe Scholam, hanc appellationem vix reperies frequentatam; cuius in primis Theologis adhibita fuit, ad hypothesin de propagatione peccati originalis per imputationem lapsus Adamitici toti humano generi factam, nova hypothesi fulciendam, scil. qua imputationis illius moralitatem *Consensu* nisi posterorum Adani, sed *Interpretando* asseruerunt. Unde ad nostros hoc inventum translatum, avide arreptum fuit, atque ad petulantis rationis contra receptam hypothesin obinumurationes compescendas adhibitum. Cir. v. g. WALLERII *Prænot. Theol.* P. II. p. 84, & BRUNMARK l. c. §. 26 & 31, qui hypothesin hanc Theologicam Jurisprudentiæ quoque Naturali immiscere non dubitavit. Sed haec disputatio neque ad nostrum propositum, neque ad nostrum forum pertinet.

rum cum societatis capite intelligi (*b*), ac multa de eo disputant (*c*). Ipsa vero idea *Consensus*, in iis quoque *suppositi*, qui consentire nondum possunt (verba sunt SCHUBERTI l. c.) quique *Consensus*, plenam tamen habeat vim eos obligandi, mira adeo est sibi repugnans, adeo naturae veraque rationi *Consensus* & vi obligationis inde ortae, quas supra explicimus, contraria; adeo denique precariis & parum explicatis tota haec doctrina nititur rationibus; ut iis quae contra *Consensum* praesumtum jam diximus, multa in hanc rem addere necesse haud judicemus. Quod autem hue trahunt *consensum civium* in singulas actiones imperantis, cui per pactum sociale potestatem sumمام in universum detulerunt; id prorsus est alienum. Nam generalis ille *consensus formatus* in omnes actiones, pro publica salute fuscipendas, semel datum, sufficit ad has civi cuique imputandas, nec opus est novum in singulas *consensus genus* (ipso con-

(*b*) Pluribus CANZIUS l. c. §. 316 explicat, dicens "Consensus mihi interpretandus est, quem ratiocinio, ex nexu membra, etiam physice aliquando non existentis, aut certe phycicum consensum praebere non valentis, cum societatis capite colligimus". *Nostrum* igitur de alterius (non tantum rem nescientis, sed ne existentis quidem) consensu, *ratiocinium*, ejus est *consensus*, atque eum vere obstringit! Quae quis concoquere posuit?

(*c*) Vid. BRUNMARK l. c. §. 19-31: & unde sua ille hausit, CANZIUS l. c. §. 316 seqq. & *De Reginine Dei Uxii.* §. 871 seqq.

consentienti incogniti) fingere; non magis quam consensum speciale mandatoris in singulas mandatarii actiones comminisci, ad negotii ei commissi procurationem necessarias. Quae in gratiam infantum agimus, horum consensu interpretando confirmari, necesse non habent; nec si dissensum suum, postquam ad usum rationis pervenerunt, indicaverint, perfecta obligatione eos obstringere poterunt; nisi quatenus legibus civilibus stabiuntur. De actuali autem societate, consensu, pacto loqui hominum qui nondum existunt, deque iuribus & obligationibus inde iisdem vere acquisitis & contractis, (in primis perfectis, qualia pactorum jura atque officia sunt), id vero est nimis abuti verbis, atque in re seria turpiter ludere atque nugari.

